

VIRO
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO,
IOACHIMO BENIAMINO
SCHROTHIO,

ADV. PROVINC. ORD.

CVM

PARENTI SVO

OMNI RELIGIONIS CVLTV PROSEQVENDO;

IN

MVNERE

CONSIGNANDARVM LITTERARVM PVPLICARVM
DE PECVNIIS SACRIS VSIBVS CONSECRATIS
DARETVR ADIVTOR,

GRATVLATVR

AMICVS ET CVLTVR INDEFESSVS,

IOANNES SAMVEL IARY,

REV. MIN. CAND.

MENSE NOVEMBR. MDCCLXV.

L A V B A E,

PRELO VIDVAE SCHILLIAE ET SCHARFIL

Biogr. erud.

D. 1668, 24 II. 33.

Vitt. Erud. sing. - Vol. Schro - Schwam

VIRO

TRAVNICIENSIS, AMPLISSIMO
DOCTISSIMO

IOACHIMMO BENIAMINO
ECHROTHIO

ABDI. LEONIS. CRO.

CUM

PARRISIIS

ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN

MUSEO

CONGREGATIONIS S. ANTONII
IN VILLAGE S. ANTONII
PARISIENSIS

EDITUM

ANNO ET MENSE APRILIS

IOHANNES SAMUEL BARRI

LIBRARIUS

IN VILLAGE S. ANTONII

LIBRARIUS

IN VILLAGE S. ANTONII

VIR

PRAENOBILISSIME, AMPLISSIME ATQVE DOCTISSIME,
FAVOR OMNI OBSERVANTIA COLENDE,
AMICE SVAVISSIME,

Non frustra vereor, cum tenuis formae scriptum incultum et minus politum TIBI trado, TE offensurum esse. Numquam animus TVVS est asuetus, adplausum, venerationem et admirationem aliorum quaerere, nec me latet, quantum ab omni celebritate et solemnitate alios delectante, abhorreas. Nihilo tamen secius non potui, quin, TIBI, VIR PRÆNOBILISSIME, publicum quoddam meae laetitiae dicarem monumentum, quod, nisi leges praescriptas TVAS violarem, perfici non poterat. Monumentum quod officia postularunt illius, qui, cum omnibus prudentibus, in TE boni viri admiratur praestantiam. Talem quoque mihi quavis occasione exhibuisti, quod publice confiteri non erubesco. Ea re nequeo in praesentiarum voto et consuetudini TVAE respondere, etsi optime sciam TIBI fuisse acceptius, si animi mei TIBI deditissimi affectus silentio continuissem. Verum aequitas TVA innata nequit reprehendere factum, quod non amicitiae iacturam, non offensionem qualemcunque expectat, sed quod ortum traxit ex mente, quae de TVA salute quam maxime gaudet. De felicitate filii, qui PATRVM OPTIMO dignum se reddere, omni allaboravit studio; qui iam summi Numinis benedictione fruitur, quam PATRIS ardentissimae preces efflagitarunt. Vides remunerationem diuinae prouidentiae illis propriam, qui a tenerrima vitae aetate, strenuos paternarum virtutum se praestiterunt sectatores, eorumque votis conformes fuerunt. Sementem fecisti optimam, locupletissime metis. Vbiuis vberimos habes fructus, quorum vsus TE reddunt felicissimum. Deum propitium colis, gratisimaeque mente adoras. PARENTI ad cineres vsque colendo, haud exiguum praestas solatium in aduentante eius senectute; applausum omnium qui TIBI bene cupiunt, cupiunt autem omnes, obtinuisti, obtentum honore et dignitate

tate retinebis. Qua de re, Patres conscripti reipublicae nostrae inclytae summe spectabiles et deuenerandi, TE bonum ciuem, qui reipublicae scientiis et virtutibus suis prodesse queat, diiudicarunt, diiudicatum elegerunt et denominarunt, qui amantissimi PATRIS munus, quod per complures annos, dignitate, honore et omnium applausu administrauit, illo suafore et comite gereres ex voto. Munus in quo gerendo, diuina TVA vocatio et inopinata, omnes grauissimos labores reddet leuiore. Tantam felicitatem TVAM cum perspicio, summum gaudium meum occupat animum, qui TIBI votiuas quasdam acclamationes consecrare constituit. Boni igitur, AMICE SVAVISSIME consules pro aequitate TVA, has, si praesentibus litteris conspicias, exscriptas. Acceptius vero TIBI que suauius dicendi argumentum eligere dubitavi, nisi hoc, quod TIBI *immortalitatem patris, qui filios suos reipublicae tradit bonos ciues*, commonstraret vberius. Scio enim TIBI nullam rem iucundiores esse illa, quae deuenerandi PARENTIS TVI in TE collata benefacta et merita exponit et confirmat. Spero autem omnium maxime, TE haec mea conamina aequi et boni consulturum nec strenui critici naturam accepturum in diiudicando hoc meae scripturae leuissimo genere, sed beniuole, quae imperfecte et minus curate dicta sunt TE excepturum esse confido.

Omnes homines constituunt societatem, quae alias complures et maiores et minores complectitur. Vniuersae societatis director et gubernator summus est Deus, quem adorare et deuenerare, omnes homines legibus diuinis tenentur. Videtur quoque, mortalibus insitum esse instinctum naturalem, ens illis superius deuenerandi, et natura eos quasi compellit ad praestandum cultum religiosum, licet non talem, quem reuelatio praescribit, sed quem sibi deperdita humana mens proposuit. Quemadmodum igitur omnium mortalium societas vniuersa, summum gubernatorem agnoscere, honorare et legibus eius obedientiam praestare debet, ita etiam quaeuis minor societas rectorem sui colere ipsiusque dictis audiens esse cogitur. Omnipotentis creatoris infinita sapientia optime consuluit generi humano, vt ipsi nonnullos praeesse, alios vero quibusdam subesse voluerit, quorum vtraque pars, societati omnibus viribus prospicere, habet necesse. Cum enim hominum natura post lapsum ita sit deperdita, vt solus quisquam sibi prodesse, vel salutem suam propriis viribus promouere nequeat, maximum futurum foret detrimentum, si cuncti
tanta

tanta fruere libertate, ut quae ipsis luberent, efficerent, siue licita sint, siue illicita. Quilibet perniciem eiusmodi coetus, in quo pro libertate sua officia vel agere vel negligere cuius conceditur, habet perspectam. Prudentia et sapientia, qua excellere plurimi sibi persuadent, saepe numero homines impellit ad actiones quae minime legibus conceduntur. Qualis miseria futura, quando in societate quacunq[ue] omnes imperare, nulli vero velint obedire. Nonne leges mera essent glaucomata, si cuius auctoritatem earum destruere audeat et ipse legislatoris adpeteret potestatem? Nemo ea praestaret officia, quae ad publicam securitatem, tranquillitatem et salutem promouendam requiruntur omni modo. Ea de re saluberrimus est ordo, quem Deus ter optimus maximus inter homines confirmavit, ut nulla societas vel status imperio quodam sit destitutus. Hoc imperium autem quam maxime differt ab isto, quod vi nonnulli, superbia, auaritia et voluptate commoti, occupare sunt ausi. Obtulerunt quidem tentatam potestatem, obtentam vero iusto ex decreto diuino amiserunt infelices. Ii, quibus summum numen magistratus dignitatem permisit et in suis litteris dimandauit, potiori fruuntur felicitate. Hos secundum triplicem hominum statum, ecclesiasticum nimirum, politicum et oeconomicum spectari, constat luculentissime. Sed instituti mei ratio impedit, quo minus de omnibus exponerem, ad illas tantummodo personas, quae in statu oeconomico magistratus imaginem habent, attendere, postulat propositum meum. Parentes, praesertim autem patres in hoc statu utuntur dominio in suos, quorum summum liberi requirunt studium et in educando et in formando ingeniorum suorum. Neque rem vilioris ponderis, sed maximi momenti eorum educationem esse, vnus quisque intelligit, qui non ignorat, quantum desideretur, ut homo, Deo et proximo suo acceptus reddatur et utilis. Mortalium vita non caret exemplis tristissimis, quae nos veritatem docent, omne studium indefesum, omnemque arduam operam perdi saepissime in educatione iuuentutis. Quis quaeso patrem qui filios suos reipublicae bonos tradit ciues, immortalitate donandum, non diiudicabit atque adfirmabit.

Rempublicam si secundum naturam suam consideramus bonis ciuib[us] habit opus, qui statum eius non disturbent, sed omnem adhibeant operam, ut sine potiantur, quem omnes ac singuli sibi proposuerant, cum quandam constituerent societatem. Defectus verae virtutis et sinceri amoris, hominibus necessitatem inter se societates concili-

ciliandi imposuit, ut eo melius securitate et tranquillitate possint frui felicissimi. a) His enim complectitur finis reipublicae cuiusvis, quae potiri vera et perpetua felicitate cupit. Ad hanc procreandam, rempublicam bonis civibus carere non posse, quilibet perspiciet prudentum. Quo maior itaque est animi boni civis delectatio, quando in republica bene constituta felicem tegere possit vitam, eo maius etiam studium ut posteris insistant bonorum vestigiis. Parentibus inprimis hoc competit studium summe necessarium, quippe qui primi versantur circa liberorum suorum educationem. Primam autem imo summam curam parentum exigit animus noster. Egregie satis Epictetus: Περὶ δὲ τὴν γυνῶμην ἢ πάσα ἔσω ἐπισηροφία. b) Summum enim bonum est hominum spiritus immortalis, cuius salutem acquirere, omnes ac singuli tenentur. Cicero omnium sapientum Romanorum facile princeps praeclaras subinde in scriptis suis, animi ideas profert: *Est animus coelestis, inquit, ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatisque contrarium. Sed credo, deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent qui terras intuerentur, quique coelestium ordinem contemplantes imitarentur cum vitae modo ac constantia.* c) Et paulo post de immortalitate animae ita disserit: *Demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Appollinis indicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inuenta, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem.* d) Elegantissime vero his verbis: *Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro: Nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.* e) Alii ethnicorum e contra ineptissimas de anima protulerunt sententias, f) quae dubio procul multis, qui christianorum nomen sunt profesli, prae-buerunt ansam, ineptiores imo impiissimas, de spiritu nostro immortali, promulgare opiniones. Spinozae, Hobbesii, Cowardi, aliorumque scripta ita testantur, ut hancce veritatem tristissimam vberius exponere, esset superuacaneum. Hi nefandi errores possunt facillime oppri-

a) Pufendorff de iure naturae et gentium lib. VII. cap. II. §. 13. definit rempublicam seu civitatem, quod sit persona

moralis composita, cuius voluntas, ex plurium pactis implicita et vnita, pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus

opprimi, quando statim ab ineunte aetate tenerrimorum animi cognitione salutifera verbi diuini compleantur. In hoc enim sapientia reperitur summa ac perfectissima, animum quae reddit felicissimum cuius salute nihil superius, praestantiusque nihil. g) Verum, quanta huius inueniantur impedimenta et obstacula, quotidie deperditus naturae nostrae status condocet. Saluti suae aduersatur homo neque percipit quae sunt spiritus Dei. Quapropter summus et grauisissimus labor est patris de felicitate liberorum suorum cogitantis serio, vt illi in agnitione numinis et reliqua saluberrima cognitione erudiantur perfectissime et diligentissime. Nulla enim alia obiecta animo sunt difficiliora istis, quae terrenam et aeternam spectant felicitatem. Homo, secundum perniciem suam iam asuefactus est, vt tantummodo sensibus externis nitatur, quae vero nos superant attendere recusat. Omnes doctrinae quae salutem nostram concernunt nequaquam res sunt, quas percipere externi possunt sensus, sed quae sola spiritus nostri immortalis sunt negotia. Qualis autem vita hominis, si animus salutiferis doctrinis eget? Quo facilius igitur quiuis cognoscit, hoc studium maxime esse arduum, eo facilius etiam intelliget quantum debeatur patri qui in perficiendo eo operam suam nunquam deponit. Merita eius et dignitates eo sunt maiores, cum plurimi qui patrum munere funguntur, securitatem, negligentiam et modum excedentem amorem adhibeant in educatione liberorum suorum, nihilque minus vrgent, quam vt illi tandem Dei euadant sincerrimi cultores. Semper expectantes maturiorem et perfectiorem aetatem, optimum vitae tempus perdunt, quod tamen iuuentuti est irreparabile. A teneris enim asuescere multum est. Naturam si expellas furca, tamen vsque recurret. Impius in iuuentute, sceleratissimus vt plurimum existit senex. Quomodo autem fieri poterit, vt homo nulla imbutus religionis veritatibus, officia praestet, quae respublica iure desiderat? Et qualis ille erit ciuis, qui ciuitatis ius in regno Dei nondum acquisiuit? Fidem et pietatem qui Deo non seruat, proximo suo seruabit multo minus. Et qualem felicitatem reipublicae parabit ille qui propriam suam negligit? Nonne ex his elucet *patris immortalitas*, qui *suos liberos* reddit christianos veros, ideoque *bonos respublicae ciues*? Sed

vitibus et facultatibus ad pacem et securitatem communem vti possit. b) Enchirid. Cap. 63. c) d) Cato Maior de senectute c. 21. e) ibid, c. 23. f) Sca-

lig. in dis. de philosophumenis veterum ac recentiorum de anima et eius immortalitate. Halæ 1714. g) Matth. XVI, 26, Marc. IIX, 37.

Sed haec praestantia, quae fundamentum est alterius, coniungenda est cum facultate et dexteritate inseruendi reipublicae. Notissimum illud: ora et labora, legem constituit vniuersalem. Requiritur artes et scientiae quas a prima pueritia addiscere debet bonus et utilis reipublicae ciuis. Verum quidem est, non omnibus eodem labore fungendum esse, tamen vnusquisque labores habet suscipiendos, partim propriam partim vero alienam spectantes salutem. Quibus perficiendis non supernaturalis quaedam facultas homini est data, sed magna imo maxima desideratur industria, studiumque addiscendi eas artes et scientias, quae quemque efficiunt aptum, ad futura, cuiuseunque etiam sint generis, negotia administranda. Qualis autem in his adhibenda sit prudentia, quiuis sapientum optime perspiciet. Minime enim actudum in tenerrima aetate potest dignosci, ad quod vitae genus pueri parandi, et quales scientiae praecipue tractandae, quae fundamentum sint futuri vitae status. Errant in his saepius parentes, qui liberos ad hanc vel aliam vitae speciem cogunt, ad quam tuendam nullae adsunt vires. Omnium vero stolidissima opinio, vel potius perniciosissimum praesudicium, quando parentes allaborant vt liberi eandem eligant vitam, quam absque vlla meditatione pronunciarunt optimam. Hinc illae lachrymae, quas fundere et parentes et liberi ipsi habent necesse. Exiguus affectus et inepta cupiditas liberorum ad hanc vel illam viuendi consuetudinem, statim egregium parit ratiocinium: cupit, ergo aptus. Omnes ac singulae circumstantiae huius vel illius status, si serio pueris explicarentur et describerentur, mens saepenumero immutaretur et explorarent quid valeant humeri quid ferre recusent, qua de re permultis melius esset consulendum, ne tempus, quod pretiosissimum est, terant et perdant. *Aristippus* interrogatus: *quaenam sint ea quae pueros honestos addiscere oporteat?* ea, respondit, *quibus cum viri fuerint, vtantur.* ^{b)} Praestantissima responsio, quae complures edocet quanta sit vtendum prudentia, ne iuuentus demandata negligatur aut corrumpatur, et multo agendo agat nihil. Multi non carent dexteritate erudiendi iuuentutem, verum forma et imago *Orbilii*, discipulos non delectat, nec iactantia inanis eos reddit doctos, nec *thrasonismo* litterario afficitur, sed superbia et philautia imbuitur iuuentus. At non negandum est, praeceptoribus, discipulis suis optime cupientibus, saepe labores *Tyripheos* excitari, quando parentes coniunctis viribus cum ipsis non laborent.

Omnes

b) *Diogenes Laertius*, Lib. XI.

Omnes praeceptorum admonitiones et reprobationes, parum effici-
ent, nisi illis, patres, quoddam addant pondus et domi conseruare
studeant, quae sinceri praeceptores grauisimo studio in scholis ex-
aedificarunt. Cupiunt quidem complures liberorum Fortunam, ho-
nores, munera, aliaque, et cupiunt anxie satis, ipsi vero nullam vo-
lunt nauare operam ad consequendam hanc voluntatem. Quid quod,
omnis culpa plerumque transfertur in doctores scholarum, acsi illis
inesse debeat supernaturalis quaedam dexteritas, sine omni molestia
ac diligentia propria, dilectissimorum filiolorum, erudiendi illos in
amplissimis scientiis! Melius autem consulunt patres fideles suorum
prosperitati, cum in iuuentute nihil omittant vel negligant eorum,
quae sequenti aetate vberrimos suggerant fructus. Vitio sibi ipsis du-
cunt, reipublicae ciues relinquere quorum sapientia vel prudentia
niti salus publica nequit. Quo maior saepe numerus est infirmio-
rum, eo maior est veneratio et admiratio illorum qui haud vulgari
scientia eminent prae aliis. Felix respublica quae tantos habet viros,
qui nullum grauius studium tam sincere et perfecte praestant isto vti-
lissimo, quod bonos efficit ciues. Quis vero *patrem* indignum iudi-
cabit *immortalitate*, qui *reipublicae* virum eruditum ideoque *bonum*
ciuem tradit, quam nuncupationem tam multis imo innumeris pro-
meruit laboribus?

Exempla quae patres filiis suis praebent tantam quoque vim ha-
bent insitam, vt illi euadant boni reipublicae ciues. Homines enim
ipsa natura pronos finxit ad imitationem, quod statim a pueritia li-
berorum commonstrant facta et actiones. Qua de re fideles paren-
tes omnem nauant operam, vt semper optima et praeclarissima ex-
empla suppeditent suis. Horum praestantiam *Seneca* paucis exponit
verbis: *Longum iter est per praecepta, breue et efficax per exempla.*
Cui *Quinctilianus* assentit dicendo: *Omnis vitae ratio sic constat, vt*
quae probamus in aliis, facere ipsi velimus; sic literarum ductus, vt
scribendi fiat vsus, proni sequuntur; sic musici vocem docentium, pi-
etores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in ex-
emplum intuentur, omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi
praescriptum formari videmus. ⁱ⁾ Neque intermittunt patres optimi
hos vel alios magni nominis viros exemplo proponere filiis suis,
praesertim illos, qui eadem educatione olim sunt vsi, et iam virtutum
laudibus eminent prae reliquis, vt tandem liberos alacriores effici-
ant

i) Institut. Orator. Lib. X, c. 2.

ant ad imitationem. Quam consuetudinem comprobat SENECA: Ali-
 quis vir bonus eligendus, ac semper ante oculos habendus; ut sic tan-
 quam illo spectante viuamus, et omnia tanquam illo vidente, faciamus. k)
 Sed in his quoque magna est adhibenda prudentia ne exemplis abu-
 rantur liberi, siquidem multi imagines virorum summorum tanti ha-
 beant, ut etiam errores et debilitates imitarentur ex falso authorita-
 tis principio, quae aemulatio vero illos risui et contemptui exponit
 prudentum. De his acute satis Horatius:

O imitatorum seruum pecus, ut mihi saepe
 Bilem, saepe iocum vestri mouere tumultus! l)

Plerumque etiam externa quaedam imitantur, interna vero negli-
 gunt, ideoque magis simiae audiuntur quam aemulatores. Vsum ve-
 ro, abusus nunquam tollit. Habent suam praestantiam exempla, ha-
 bent vim magnam et procreant vberimos fructus. Testis est CICE-
 RO: Quam multas, inquit, nobis imagines, non solum ad intuendum,
 verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas, scripto-
 res et graeci et latini reliquerunt! Quas ego mihi semper in admi-
 nistranda republica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitati-
 ne hominum excellentium conformabam. m) Testes sunt alii, qui con-
 sulto conscripserunt volumina, in quibus elegantissima exempla col-
 lecta promulgarunt. Antiquorum Valerius Maximus, n) recentio-
 rum Balthasar Exnerus, o) Baptista Fulgosus. p) Quorum autem
 maioris ponderis erunt exempla, illis, quae patres prudentes quoti-
 die filiis suis suppeditant. De exemplo maximi vsus, quod Augu-
 stus imperator filiis suis dedit Horatius:

Sensere, quid mens rite, quid indoles.
 Nutrita faustis penetralibus
 Posset quid Augusti paternus
 In pueros animus Nerones. q)

Est enim consuetudo optimae indolis adolescentum, imitandi pa-
 rentes, eorumque exempla imitandi, ad superstitionem ferme trans-
 gressa. Veneratio, amor et aliae virtutes, quas parentibus conse-
 crant,

k) ad Lucilium epist. XI. l) Epist. cap. VI, n) Dictorum factorumque me-
 morabilium Libri IX. o) Dictorum factio-

crant, efficiunt, vt strenue insistant eorum vestigiis, imo leuissimas actiones saepe repetant hac consuetudine commoti. Neque maior voluptas poterit inueniri, praeter eam, quam sentiunt patres optimi, cum indefesum imitandi conspiciant filiorum studium atque laborem; et progressus in virtutibus scientiisque, eos incitant, vt exempla exhibita augeant omni modo. Hacque ratione, filiis suis reipublicae traditis consecrant memoriam nominis sui, consulunt reipublicae saluti, suisque officiis faciunt satis. Felix respublica, quae tantos colit viros, felix humana societas, quae tales alit parentes. Exempla peregrina possem proferre ex historiae literariae monumentis amplissimis, sed amor in patriam lectissimam, non permittit. *Zittauia* nostra dilectissima, grata memoria prosequitur magna nomina *Gebhartorum*, *Haentscheliarum*, *Hausdorfforum*, *Herzogiorum*, *Hoffmannorum*, *Iustorum*, *Kieslingiorum*, *Nesendorum*, *Wenzeliorum*, *Winzingerorum* aliorumque, qui patres, et filii et nepotes rempublicam, ecclesiam et scholam, laude, dignitate, auctoritate et fructu, administrarunt, administrant, administrabunt, quippe non desunt filii tantis patribus dignissimi, qui paternas dignitates et merita instaurant, eorumque gloriam officiis suis prosequuntur pertinaciter.

Iam quid ego commemoro? **TE, VIR PRAECLARISSIME**, optimum testem mei argumenti produco, testem cuius auctoritatem tantam habeo, quantam cuiuis postulare velit. Conspicit *Zittauia* nostra dilectissima in **TE**, filium **TANTO PARENTE** dignissimum et paternarum virtutum sectatorem indefesum. Comperierunt omnes boni ciues nostri in **PARENTE TVO** ad cineres vsque deueniendo, virum bonum, qui nunquam destitit efflagitantibus auxilio et officio suo, comperient certe in **TE** haeredem omnium animi virtutum, quae **PATREM** inter nos effecerunt amandum et venerandum. Optimum ille **TIBI** fuit exemplum vitae, religionis, eruditionis et virtutis, optimum consilium cepisti imaginem perennandi eius, vt ciues nostri non solum de **TE** bene sperent, sed etiam confidant, talem futurum qualem **TE** cognitum iudicarunt. Proferrem
b 2 merita

factorumque memorabilium Libri IX. um ex omni historia veteri et recente.
p) Dictorum factorumque memorabili- q) Carm. Lib. IV. Od. iv.

merita TVA, extollerem TE laudibus, quos TVA amicitia in me collata exagitat, sed, quem propria nobilitavit virtus, laudibus non eget alienis. Vota sincerrima TIBI potius voueo quae nunquam modum superare poterunt. Largiatur TIBI Deus ter optimus maximus, omnia felicitatis bona, reddat TE faustum, fospitem ac incolumen, vt PATRI OPTIMO ex voto possis inseruire in munere, quod TIBI gratisimum, quia quotidie paterna merita TIBI comonstrat. Seruet TIBI, vitam preciosissimam amantissimi PATRIS, ad iera vsque tempora. Largiatur vires validissimas TIBI, ut omnia ex voluntate et proposito euadant felicissime. Fruere paterna benedictione, tanti venerabilis senis, in omni TVA vita, fruere felicissime, diutissime. Omnes, omnes boni viri augurantur, nec fallit illos augurium, TE talem ciuem bonum futurum, de quo respublica felix feret suffragium: Parentis immortalitas, in Filio, reipublicae bono ciue, instaurata.

